34

Q. D. B. V.

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

TUMOREM PRÆCORDIALEM INTERNUM,

QUAM

EX DECRETO FACULTATIS GRATIOSÆ,
ADSISTENTE DIVINA GRATIA,

PRÆSIDE

D. ALEXANDRO CAMERARIO,
THEORIÆ AC PRAXEOS PROFESS.
ORDINARIO,

PROMOTORE AC PATRONO SUO VENERANDO,

PRO LICENTIA

SUPREMOS IN MEDICINA HONORES ATQUE PRIVILEGIA DOCTORALIA LEGITIME
CAPESSENDI,

PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI
SUBMITTIT

BERNARDUS RAU, URACENS.

AD D. DECEMBR. ANN. MDCCXXXIV.
LOC. HORQ. CONSUET.

TUBINGÆ,
Typis ANTONII HENRICI ROEBELII.



Σ. Θ.



Emo tenetur propriam allegare turpitudinem. Regularum Juris alias quidem non adeo gnarus, hujus tamen non ſemel auditæ recordor, ſcripturus hiſtoriam affectus, quem ipſe nec cognovi, nec curavi, & poſt inſignem annorum pluſculorum intercapedinem miror adhuc potius atque rimor, quam penitus exploratum habeo. Quem propterea ante hos fere duodecim annos ad *Naturæ Curioſorum Ephemerides* transmiſi, & ab Academiæ *Dn. Præſide Illuſtri & Magnifico* ejusdem Actorum Phyſico Medicorum Volumini primo benevole inſertum poſtea deprehendi, neque vero Excc. Dnn. Collegarum quemquam in Voluminibus, quæ interea prodierunt, Secundo & Tertio, aut alibi, vel animi ſententiam ſuper iſtum expoſuiſſe, vel analogum qualemcunque caſum propoſuiſſe; imo potius, ut ipſe plenius exponam iſtum, quosdam per litteras huc ſcriptas optaſſe, & adhucdum expectare, cognovi. Hunc ipſum igitur, occaſione nunc data, in diſputationem publicam vocare non ſubterfugio, ſed dignum omnino cenſeo, cui ſimiles ex hiſtoria medica conquiram, tentaturus, num ad illuſtrationem mutuam forte poſſint in vicem conferri, & phænomena ſatis utique ſingularia declarari.

Fuit autem affectus ille *Tumor præcordialis internus*, viſu tamen atque tactu facile agnoſcendus, arteriarum inſtar pulſatorius, incerta de cauſa occulte ſubnatus, nec ſine moleſtia diu, per triennium, geſtatus,

medicamentis tam internis quam externis curari frustra tentatus, tandem sponte feliciter solutus.

Hunc obtulit *vinitoris uxor* paupercula, annorum ultra triginta, eousque sana, quinque liberorum mater, quæ bis terve ipsa, sæpius vicina & maritus, mihi retulit quæ sequuntur.

Ex *Phænomenis antecedaneis* dubium erat ipsius *principium*, ratione causæ & occasionis. A marito voluit accusari *levatio ponderis* & gestatio, quam tamen in dubium vocavit uxor, substituens potius *emansionem* aliquando *mensium*, cum statu vertiginoso, verno tempore; circa quod liberorum quoque minimus ante annum natus obierit, addens: Se jam diu ægre tulisse, si quid epigastrio incubuerit gravius.

Cum igitur a vere in æstatem observasset atque tolerasset *sensim* occulte, non acute, nec *inflammatorie*, aut cum aliquo corporis morbo, tumorem increscentem, mihi primum exposuit, ac notanda suppeditavit phænomena hæcce *constituentia*, *conjuncta* & *concomitantia*:

Locus erat Epigastrii medium, sub ipso cordis scrobiculo, utrinque inter costas anticas infimas. *Tumor* ipse ad tactum interne subtus circumscriptus, duriusculus, indolens, nisi premeretur fortius. *Magnitudinem* habebat pomi majoris; progressu mensium, quin annorum, modo perstare in eodem, modo increvisse dictus; *Non mutato* externæ regionis *colore*. *Pulsare* non tam ipsum æque tumorem, quam spatium super & inter ipsum atque costam proximam (ubi & adtactum duriorem non ferebat), & ægra ipsa, de hoc non semel querula, & admota manus mea sensit, dum de cordis suo loco pulsatione quæsita nihil scire vellet, atque negative responderet; Non semel vero hoc insuper adderet: Pulsare *fortius* a motu quocunque omni, inprimis ab adscensu adclivi, ac terrore; In plano procedere facilius, multo minori cum molestia. Imo sentiri a motu quandoque tumoris allisum ad costam ægriorem.

Decubitus commodior in latus dextrum; Supinus, & sinister, vel non, vel ægre ferendus; Sedentis autem situs corporis antrorsum inclinatus. Progressu tamen temporis etiam in latus sinistrum cubatura nihilominus quiescere potuit, comprimendo saltim prius manu locum illum, atque ita quasi fulciendo tumorem, quem sub costas fere tunc recedere observavit.

Accessit post quadrantem anni, per quem cum tumore suo quasi sana vixerat, forsan ex ratione vitæ generis pauperculi & duriusculi, *dolor* qui-

dam

dam lateralis, per ſiniſtrum magis, qui licet absque vel horrore vel calore ſubſequo fuerat, uti quidem neque tunc neque poſt æque ſolebat febricitare, ipſam tamen graviter adflixit, & in lectum dejecit, ut decumberet ægrius, reſpiraret difficilius, absque tuſſi tamen omni.

Medicamentorum uſu mitigari potuerunt hæ querelæ, ut, præter priſtinas de tumore jam conſuetas, non ſupereſſent magnæ & multæ, ſed ægra facile iterum reſpiraret, adpeteret, deglutiret, cibum non niſi ægro illo tempore ægre ferret, menſtruaretur usque conſtanter, utut inæqualiter. Alvus libera. Pedes non tumidi.

Interim temporibus ſequentibus aliquoties adhuc ita correpta & dejecta fuit; Toties tamen ſe recolligens, atque paſſionibus ſuperatis ad œconomiæ curam rediens. Cum autem viveret in jugi metu, ob tumorem adeo ſuſpectum non minus ac moleſtum, dubium ſæpe fuit, quid huic debeatur, quid morbo. Certe anno altero & tertio admirationi fuit omnibus, corpore non conſumta, facie non pallida, tumori patienter tolerando ſenſim adſueta. Majo tamen anni tertii ſanguis ex brachio miſſus veſperi caſeum exhibuit, cruſta ſpiſſa fœda tectum, multoque ſero turbido innatantem.

Rebus ita varie ſe habentibus, tumore tamen ſemper in eodem permanente, hoc ipſo anno tertio concepit iterum, geſtavit & peperit feliciter filiolam ſuperſtitem.

Sed ad finem hiſtoriæ, quem exitum habuerit. Per aliquot annos nihil amplius de ipſa inaudiveram, ut ejus fere fuerim oblitus, donec ipſa tandem rediret ſponte, conſultura pro filia. Solet enim ita fieri cum plebe, quæ medico ſemel conſulto, ſi non ſtatim inde ſingulariter proficiat, raro redit, vel vage admodum recurrit, & plane tandem emanet, ut quid actum cum ipſa fuerit, vix innoteſcat. Diu igitur dubie tum contemplatus ipſam, agnovi tandem, & quid actum interim cum ipſa fuerit, interrogavi; Ipſa vero rem obſcuram ita narravit, ut capere quidem vix potuerim, fidem tamen ipſi non adhibere etiam non poſſim.

Scilicet, vel ab uſu remediorum omnis generis undecunque oblatorum, vel longa tandem conſuetudine, geſtationem tumoris fuiſſe ſibi tolerabiliorem, valuiſſe corpore melius, atque adeo concepiſſe & peperiſſe, ut dictum ſupra. Interim tumorem vel viſum modo ſibi, vel revera factum, fuiſſe molliorem.

Cum ergo post puerperii septimanas, verno tempore, occuparetur in vinea phaseolorum seminibus terræ committendis, venisse ex improviso *tussim* quandam insolitam, vehementem, bina vice. Tunc subito, prævia quadam intus quasi *ruptura*, sibi *per os* erupisse materiam, nescio quam & qualem, multam, quam utraque manu capere non potuisset. Hanc negavit fuisse vel *cruentam* vel *purulentam*; Etiam quæsita, toties aliter non respondit, atque tandem comparavit cum ita dicta *matrice aceti* & *tunica*, ut ovi sine testa; sed inodoram & insipidam. Negavit porro excretionis actum fuisse *vomitionem*, sed constans asseruit *extussitionem*; Absque tamen ullo tunc suffocationis metuendæ sensu; Absque etiam dolore quocunque; Imo vero cum cessatione tussis statim ab exoneratione. Atque ita se *liberatam* fuisse momento temporis *plenarie*, *constanter*; Nec tum sensisse reliquias, vel recidivas symptomatum quorumcunque; Nec hactenus pectore aut præcordiis quidquam mali passam.

Hæc sunt, quæ ad *Naturæ Curiosorum Acta Physico Medica* transmisi quondam, affectus historiam concernentia, remediorum abs me præscriptorum adparatu jamnunc breviter supplenda.

Mihi quidem quibus ante, juxta vel post mea, externis ac internis adversus tumorem istum usa fuerit, non plane constat; Consiliorum enim per tres annos variorum numerus fuit non parvus. Nec opus videbitur, quoniam frustra usurpavit pleraque. Tulit tamen inprimis bene, quin habere melius solebat ab illis, quorum bona fide mentionem faciam. Cum conjecturarum fuerint multæ, cogitatum inter alias fuit etiam de *Vermibus*, tanquam plebi frequentioribus, affectuum mirorum & occultorum auctoribus, vel ad minimum comitibus. Utique ab anthelminticis, non statim quidem, progressu dierum tamen, per intervalla fuerunt *exclusi* lumbricorum non pauci. Sed absque beneficio inde redundante in tumorem, nihil hinc mutatum. Fuit inter illa non uno ex capite, *causæ* etiam *solidæ* occultiori convenire creditus, æthiops mineralis, ad drachmas duas, cum extractis cichorei, papaveris ac helenii, in pilulas redactus, dimidii scrupuli dosi. *Purgantia* mediocria data fuerunt non semel. Ad *mensium* tempus elixir aperitivum Clauderi, cum pulvisculis ex castoreo, myrrha, croco, & speciebus diacretæ. Alias *martialia*, tinct. mart. cydon. essent. mart. Ludov. cum *decocto viscerali* corticis fraxini, herb. scolopendr. trifol. fibr. radic. polypod. &c.

Nec

Nec prætermiſit Vinitor *euporiſta : Infuſum* theiforme, tam meliſſæ, veronicæ, betonicæ, quam millefolii. *Juscula* alterata chærefolii, meliſſæ, ſanguisorbæ; *Succos* expreſſos, modo borraginis, bugloſſi, chærefolii, modo naſturtii aquatici. *Decoctum* radicis cichorei. *Epithemata*, tam ex chamomilla, quam naſturtio aquat. cum verbaſco, meliloto, &c. Lienis vituli cum aceto. Quibus ex officina pharmacevtica acceſſit, modo nitrum, cum aceto & vini ſpiritu; modo gummi ammoniacum in emplaſtro, &c. Cæterum ſub querelis dolorum, atque turbis febrium, habuit nitrum cum abſorbentibus, atque lenibus diaphoreticis; Pilulas bezoardicas, &c.

Jam ergo, ſicut ante hos undecim & quod excurrit annos, ita nunc rurſus quæritur: Quid hoc rei ſit? Quid, & ubi, tumor iſte fuerit? quodnam ipſi ſubjectum, quænam cauſa conſtitui vel adſignari, quomodo phænomenorum rationes reddi poſſint? Ad quod expediendum dum me jamjam accingo, omnium optime officio meo me defuncturum ſpero, ſi κατ αρσιν procedendo prius dicam, quid non fuerit; Deinde κατα Θεσιν, vel tandem υποθεσιν tamen, ſubjungam, quid fuiſſe, ac ubinam hæſiſſe tamdiu, veroſimiliter potuerit.

Fuit igitur tumor iſte *primo non verminoſus*. Non equidem eſt, quod me pudeat ſuſpicionis de latentibus forte vermibus exortæ. Habeo rationes, quibus illam tuear. Etenim non modo dudum in Eph. Nat. Cur. Dec. III. Annis III. & IV. aſſeruerunt *Menzelius* atque *Francus*, non eſſe corporis humani partem, in qua non reperti vermes fuerint; Nec ex pectore cum tuſſi, vel ex ventriculo vomitu, rejecti latere quemquam poſſunt, poſtquam illos, jam a *Platero* Prax. L. III. adnotatos, ſuo quoque teſtimonio confirmarunt, tam *Lanzonus* in E. N. C. Dec. III. Ann. VII. & VIII. quam *Riedlinus* in ſuis Lin. Medic. qui ſputum quoque verminoſum ibidem recenſet: Hos vero in Miſc. Nat. Cur. Ann. III. *Schulzius*, annis proxime ſequentibus IV. & V. *Hainius*, VI. & VII. *Paullini*, VIII. autem rurſus idem *Schulzius*, tandem Dec. II. Ann. IV. *Poliſius*, praxi ſua obſervatos, deſcripſerunt, quos obſervatione propria, hic quoque loci facta, facile ſi neceſſitas quidem id poſtularet augere poſſem. Verum etiam noti ſunt, huc inprimis facientes, varii *Tumores a vermibus* exorti. Ut enim tumores & abſceſſus vermicondos taceam, quos recenſet *Garmannus* de mirac. mort. l. 3. t. 1. Nec de vermibus in globum convolutis *Ejusdem*

ex

ex M. N. C. Ann. I. (cui ad latus poni merentur vermes inteſtina perforantes, tam *Ejusdem* ibidem, pag. 321. quam ad h. l. notatus *Dethardingii* parallelismus in E. N. C. D. III. Ann. V. & VI. App. p. 151.) vel de globo pituitoſo, magnitudine ovum anſerinum adæquante, vermibus piloſis farcto *Paullini*, in E. N. C. Dec. II. Ann. VI. App. vel tumoribus hernioſis in inguine a vermibus excitatis, ac E. N. C. Dec. II. Ann. I. Obſ. 126. atque Dec. II. Ann. III. Obſ. 141. deſcriptis; aut abdominis tumore verminoſo, quem ſupra laud. *Lanzonus* E. N. C. Cent. I. communicavit; atque vermibus veſicularibus ſeu hydatodeis in caprearum omentis ab *Hartmanno*, fide E. N. C. D. II. A. IV. repertis, quidquam dicam. Mereretur forte tamen cum noſtro comparari verminoſus ventriculi tumor cum folliculo, quem in nunquam ſatis laudando obſervationum medicarum promtuario, graphice pro more ac ſolide, cum Scholio quoque, dedit nobis in E. N. C. Dec. II. Ann. VII. *Wepferus*. Cum qua conferri poterunt tam Ejusdem *Wepferi* Obſ. I. anni ſtatim proxime ſequentis II. VIII. quam obſ. ccLv. Dec. III. Ann. V. & VI. atque obſ. ccxxix. Act. Phyſ. Med. Nat. Cur. Vol. I. Quæ ſi vel maxime dicantur in canum modo luporumque ventriculis deprehenſa, homini tamen ſimili omnino ratione poſſent contingere, prouti ex monſtroſo mammæ, ac inprimis altero, non minus magno, lateris in abdomine ſiniſtri tumore a vermibus excitato adparet, quem *Rommelius* E. N. C. D. III. A. II. dedit, neſcio qua de cauſa in ejusdem Dec. III. Ann. IV. repetitum.

Quicquid tamen ſit horum omnium, quantumvis etiam, ut in hiſtoria dictum, anthelminticis datis lumbrici fuerint expulſi, atque alia adhuc plura adduci poſſent, tumor tamen noſter nec a vermibus excitatus formatusve, nec expulſis hiſce quidquam vel adjutus vel mutatus, adeoque illis etiam nullo modo adſcribendus eſt.

Neque *ſecundo* tumor noſter fuit *Anevryſmalis*. De anevryſmate cogitandi anſam dare quidem poterat motus iſte pulſatorius, quo tumor noſtræ ſingulariter inclaruit. Etenim anevryſma (quod promiſcue per jota etiam plerique ſcribunt hodie, incurii cenſuræ, quam Inſtit. ſuarum L. III. C. 154. habet *Caſp. Hoffmannus*) cognoſcitur, inquit *Jonſtonus* in Idea Univ. Medic. L. VI. C. VIII. p. 288. quod ſit tumor mollis, pulſans, atque digitis plerumque cedens; ad minimum quamdiu recens, adhuc intra terminos arteriæ ſaltim dilatatæ ſubſiſtit. Unde *Idem* loc. cit. ſtatim ſubjungit:

jungit : Si majus fiat, nec digitis amplius cedere, nec pulſare, ſed aquæ bullientis inſtar ſtrepitum ſaltim edere. Quod ipſum tamen non a tumoris magnitudine, ſed a concluſi ſanguinis vel fluxilitate diutius continuata (cui tantum tribuit in ſua de Anevryſm. Diſp. Anteceſſor quondam de Univerſitate non minus ac Facultate noſtra bene meritus B. *Mezgerus*) vel coagulatione & concretione citiori derivat, & exemplo circa talum exorti talis anevryſmatis, nucem juglandem magnitudine non excedentis, minime tamen pulſantis, confirmat *Ruyſchius* in Obſerv. Anat. Chir. Centuria, obſ. 38. Sed & jam dudum ante ipſum ex *Ballonio* notandum inculcavit *Bonetus* Sepulchr. L. II. S. XI. p. m. 675.

Quamvis autem apud ſcriptores medicos dubio omni careat, anevryſma a cauſa tam interna quam externa oriri poſſe, neque pectoris ſcrinio cordisque viciniæ adſtringi; ſed ut paſſim alibi, ſic inprimis etiam circa ventriculum & lienem, vel, ut *Fallopii* verbis proferam, in abdomine & hypochondrio ſiniſtro, frequenter obſervari, prouti e. g. *Bonetus* loc. cit. L. III. S. VII. p. 785. arteriæ cœliacæ anevryſma, quod pugnum compreſſum admitteret; *Drelincurtius* in d. Lienos. arteriam lienarem fornicatam, cum anevryſmate polypoſo in pectus ac abdomen æqualiter protenſo; Et Exc. Dn. D. *Schulze* in Act. Phyſ. Med. N. C. Vol. I. anevryſma verminoſum in arteria meſocolica equæ, notarunt atque deſcripſerunt: Quamvis etiam bene recorder obſervationis illius alterius quam ſupra laud. *Rommelius* communicavit in E. N. C. Dec. II. A. VII. de anevrysmate magno, nullis cedente remediis, tandem ſponte tamen evaneſcente; quo cum conferri meretur, quod tam ex praxi propria *Baglivus* d. Fibr. Motric. L. II. C. IV. quam ex *Bartholini* Obſerv. Cent. IV. *Wedelius* allegat in Diſp. ſua de anevryſm. Quamvis denique, (quoniam materia noſtræ per os rejecta non fuit cruenta) nec illud me ſubterfugiat, quod ex *Veſalio* notat *Schenckius*, in anevryſmatibus non ſemper ſanguinem reperiri, ſed quandoque humorem concretum inſtar glaciei, aut humoris cryſtallini, interdum veluti ſanguinem concretum, aut molam; cui conforme prorſus eſt, ad noſtrum huncce caſum inprimis quadrare viſum, quod in ογκολογια ſua parva ex obſſ. *Bartholini* aliorumque refert *Schelhammerus*: Mirum eſt, inquiens, carneam quandoque maſſam ex ſanguine concreſcere, cordi ſimilem, pulſantem ut cor. Quales quidem iſtiusmodi tumorum ſubſtantias, ſive humoroſa ſive car-

noſa,

nosa, cartilaginea aut adhuc solidior fuerit, tanquam in arteria saltim dilatata concretas, laud. *Mezgerus* Disp. cit. ad anevrysma modo spurium refert, membranæ non interioris solius, (.quippe tanto robustioris, ut absurdum Ipsi, quin impossibile videatur, ista rupta debiliorem externam posse resistere ac integram manere.) sed utriusque ruptura, atque sanguinis contenti effusione in musculorum, membranarum vel cujuscunque partis interstitia, verum anevrysma fieri, contra scriptores sui ævi celebriores, *Fernelium*, *Hildanum*, *Sennertum*, *Horstium*, *Riverium*, &c. cum *Galeno* Græcorumque atque Arabum plerisque contendens.

Quamvis, inquam, ista quidem omnia ita sese habeant, ad tumorem tamen nostrum illustrandum parum, aut nihil faciunt; Neque cum phænomenis, ac eventu præcipue, tumoris conciliari facile possunt. Imo, præter unicum forte pulsationis phænomenon, reliqua plane non conspirant. Enimvero, sicuti non omne anevrysma pulsare ex *Boneto* atque *Ruyschio* antea notavimus: Ita nunc ulterius animadvertendum commendamus, ut rem inter Medicos prudentiores dudum confectam, scilicet non omnem istiusmodi pulsum insolitum anevrysma statim significare. Phænomenon est admodum frequens, quod causas habere potest oppido diversas. Operæ pretium erit, assertum per specimina comprobare.

A nativitate, propter insolentem *cordis situm*, pulsationem perennem habuit, in *dextro* quidem *pectore*, tam typographus *Wedelii*, quam sicarius *Patini*, a *Bartholino* in Act. Hafniens. Vol. II. ac Hist. Anat. Cent. II. descripti; Atque forsan Catharina Medicea, Ludovici XIII. Galliarum Regis mater, præter quadragenarium adhuc alium, a *Riolano* in Anim. ad Bauhin. juxta cum fœmina abs *Mœllenbroccio* in M. N. C. Ann. II. O. LXXVI. notata. In *hypochondrio* autem *sinistro* puer *Hannemanni*, descriptus in E. N. C. D. II. A. VIII. O. CXIV. cujus parallelismus ex anno proxime seq. IX. inter parerga *Fabri* merebitur forte huc transcribi totus, quia brevis & jucundus. "De pulsu hypochondriorum, qui nihil aliud est, quam motus arteriæ magnæ, in affectibus certis, etiam in ventre perceptibilis, nunquam sine gravi momento. Interim admonet nos hæc historia migrationis mirabilis, Rationis e capite ad præcordia, quam manifeste se passum esse *Helmontius* asseuerat, tract. Idea Dem. Sensi, inquiens, aperte, dilucide, discursive & constanter, totum illud munus (intellectum) obiri in præcordiis, & expandi circa os stomachi,

machi, & cum exclusione quidem capitis. Et paulo post: Cum amentia sit defectus intellectualis, ita proin suscitatur ex hypochondrio &c. Quid demum fieret, si sensus in præcordia, cor vero in hypochondria migraret? Nemo igitur moraliter exprobret cuiquam, cui naturaliter accidit, *dass ihme das Herz in die Hosen gefallen.*,,

In *juventute* demum cor situm adhuc mutasse suum, atque fortiter palpitasse in *epigastrio* ac *hypochondrio*, docemur a *Platero*, *Sidobre* ac *Lancisio*. *Hic* enim in suo d. mort. subit. tr. L. II. illorum qui perierunt, obs. II. juvenem recenset cursorem, cuj ultra annum pulsatile quoddam pondus supra diaphragmatis centrum, post mortem sectione deprehensum est fuisse cor, mole triplo naturali majus, vaccinum longe superans, quod, relaxatis exesisque proximioribus membranarum funiculis, plane supra diaphragma ceciderat, ibidemque oesophagum, aortam ac ventriculum premebat. *Ille* in tr. d. Variolis p. m. 94. juvenem allegat, tam violenta cordis palpitatione correptum, ut cor, cum appensis vasis & pericardio, e sua sede fuerit depulsum, & super diaphragma ceciderit, ad latus cartilaginis ensiformis, in quo videnda tangendaque erat pulsatio, ibique prominebat costarum cartilago. *Iste* vero observ. suarum Libr. III. adolescentem asciticum refert, qui puer adhuc frequenter utraque manu terræ innixus corpus in altum erigendo rotans, cœpit cordis palpitationem ac pulsationem vehementem sentire in sinistro latere, circa ventriculi fere regionem, quam a corde, eousque propendente, profectam fuisse sectio post mortem declaraverit.

Utrum huic, an vero primæ? classi debeat adscribi rara cordis palpitatio, quam *Ant. de Pozzis* communicavit M. N. C. Ann. IV. & V. O. XL. ambigere quis posset. Dicitur enim vir juvenis a quadriennio palpitatione cordis continua correptus, atque tandem syncope abreptus, corde non in loco proprio, sed circa diaphragma, lateris sinistri, loco valde demisso, palpitante. Sed post mortem deprehensum cor maximum, totum emaciatum, unico saltim ventriculo constans, hoc autem XVI. sanguinis uncias comprehendens, &c.

Pulsationes reliquæ, quas magno numero apud Autores deprehendimus, sunt pleræque omnes vel *obstructoriæ*, vel *constrictoriæ*, forsan etiam *inflammatoriæ*, aut commotoriæ *sanguinis orgastici*, vel ab *extenuatione* corporis *hectica*. De primo *Wedelius* loc. cit. scribit: Non omnis

 pulsus

pulſus inſolitus ſtatim anevryſma notat, ſed ſæpe ſolum obſtructionem; uti pulſationem in epigaſtrio, in hypogaſtrio, in hypochondrio ſiniſtro, notavimus absque anevryſmatis charactere. Quid hoc aliud eſt, quam *οι πονοι παλμωδεεσ Drelincurtii*, quos l. c. ſcribit obſervari vel in univerſo corpore, vel ad tempora, vel in toto abdomine, vel in hypochondriis, vel ad umbilicum. Cui plane conformiter ex *Williſio Bonetus* ait l. c. p. 189. propter lienis obſtructionem fieri ſanguinis regurgitationem, atque pulſationem iſtam excitari, quæ in hypochondriis ſubter ventriculum ſentitur. Et pag. 199. ex *R. I. Forti :* Pulſationum iſtarum cauſam in obſtructiones contumaces ac inſignes, non meſenterii ſolum, verum quoque pancreatis vaſorum, præcipue referendam. Ad conſtrictionem ſpaſmodicam pertinet obſerv. Exc. D. D. *Heiſteri*, quæ legitur in E. N. C. Cent. I. & II. p. 432. de muſculis rectis, in abdomine adeo introrſum tractis, ut aortæ lumborumque vertebris proxime incumbentes, in vita pulſum arteriæ magnæ neceſſario digitis percipiendum dederint; quod in ruſtico dormitore batavo, *de Slaapende Boer tot Stolwyck* dicto, contigiſſe Idem ibidem memorat. Sub inflammationis ſuppuratione dolorem, qui tum una cum febre major fit, juxta aphor. 47. Sect. II. fieri pulſatorium, & arteriarum fere pulſus atque undulationes exprimere, quis eſt qui ignorat? Sed quis eſt etiam, qui non condoleat *Boneti* puello decimeſtri, cui abſceſſus, mediam pectoris ſiniſtri partem occupans, cor propria dimotum ſede in adverſam ſic propulit, ut hoc pulſare fortiter in dextro, ille in ſiniſtro latere, deprehenderetur tribus ante mortem ſeptimanis. Commotiones ſanguinis orgaſticas laud. *Bonetus* accuſat, dum occaſione alicujus anevryſmate laborantis melancholici pag. 199. ſcribit: Sæpe pulſatio percipitur in hypochondrio ſiniſtro, quæ manum admoventibus tum inprimis ſentitur, cum meri potu exercitiove incaleſcunt, aut in iram feruntur. Contingit hoc in arteria præſertim coeliaca, nec tamen hac ſola; nam aliquando omnes pulſant, ob vehementem æſtum, præſertim per horas aliquot a ſumto cibo, vel ab immodico motu. Et de hypochondriacis brevi ante dixerat: Illos interdum aliquot horarum ſpatio ſe febricitare falſo putare, quod ab aſſumto cibo, vel corporis motu, propter æſtum, arteriæ omnes ipſis immodice ſoleant pulſare. Tandem corporis extenuationem hecticam, & ab hac in linea alba conſpectum arteriæ magnæ pulſum graphice, uti poteſt & ſolet, depingit, adductaque ex *Bontio* hiſtoria conſimili declarat, qui

obſer-

observationum scite conscribendarum exemplar Studiosis proponi mereretur, *I. N. Pechlinus*, Obs. Med. L. II. O. VI.

Tertio, partium ibi subtus jacentium, quibus respondere situ suo videbatur extus *tumor* iste, *non* fuit *talis, quales* ipsis alias obtigisse varios aliunde constat. Prima, cujus ratio hic haberi posset, est *Ventriculus*. Hunc chloroticis, a febre resurgentibus, atque aliis passim, flatibus turgescere, ac in tumorem epigastrium elevare, in vulgus notum, sed a nostri tumoris modo prorsus alienum est. Circa orificium ejus sinistrum internum tumorem tantum, ut gulæ viam penitus occluderet, ac fame sitique ægrum enecaret, in viro robusto Ducatus nostri, quondam observavit *Febrius*, ac historiam ejus dedit in E. N. C. D. II. A. VIII. O. XCVI. recte provocans ad similem, in gula fœminæ ab *Hannemanno* notatum, ac in ejusdem Dec. II. Ann. III. Obs. XLVII. una cum Scholio *Schrœckii*, legendum. Alius, non minus gravis, circa dextrum ventriculi orificium reperti, meminit *Harderus* in E. N. C. Dec. II. Ann. VI. & recordabimur nos iterum infra, ubi de pancreate sermo nobis erit, quoniam utriusque mentionem in observationis titulo Autor fecit. Scirrhum ventriculi lethalem, pugni magnitudine, materia tenaci atra refertum, in ejus fundo sessilem, *Ruyschius* cit. obs. anat. chir. nr. XXXIX. atque alium, pro rana viva, ventriculi inquilina, ab ægro habitum, ovi gallinacei magnitudine, pyloro proxime adnatum, *Bonetus* recenset Sepulchr. L. I. S. IX. p. 197. Qua occasione tamen in transitu notandum, non tam a tumore ventris aut corporis quocunque, quam potius a borborygmis atque murmurationibus abdominis, sub specie coaxatus, rugitus, grunnitus, vel ululatus forte percipiendis (quos quidem sonoris modo, per flexuram sub hypochondrio sinistro compressi, coli flatibus in Eteodromo suo verosimilius adscripsit *Lentilius*; Imo post mortem adhuc in cadavere, non colo saltim, sed ventriculo ac omnibus intestinis reliquis ita turgidis auritus testis deprehendit *Reiselius*, juxta E. N. C. D. II. A. VII. O. XIII.) existimasse quosdam, se vivi quidpiam alere in suo corpore; quod etiam de medicinæ Doctore *Plateri* Obss. L. I. potius, quam simpliciter ipsum fuisse melancholicum, credidero.

Ventriculo connectitur *Omentum*, quod istiusmodi tumoribus quoque non semel sedem præbuit atque fundamentum. Hoc non loco fuisse suo, nec expansum modo consueto, sed corrugatum, atque supra ventri-

culum ad diaphragma ſurſum truſum, refert *Mercklinus* E. N. C. D. II. A. I. O. CLXXXIII. Omentum ſcirrhoſum, totam epigaſtrii regionem occupans, & quatuor digitorum transverſorum craſſitiem adæquans, in canonico monspelienſi a *Riverio* obſervatum, ex hujus Praxi citat *Hoffmannus* in Diſq. Corp. anat. pathol. ſpec. II. §. 18. Omentum conglobatum, atque glandulis mirum turgidis ita ſuffertum, ut fœmina credita fuerit modo hydrope laborare, modo fœtum mortuum geſtare, cujus caput, crura &c. tangi viderique poſſint, ex communicatione amici E. N. C. D. II. A. X. inſeruit noſter quondam *Reiſelius*. Tumorem pugni magnitudine, præter paucam materiam albam, pultaceam, inodoram, nil niſi glumum durum ex capillis criſpis intricatisque continentem, in hydropicæ omento craſſo carnoſoque, & peritonæo firmiter adhæreſcente, deprehendit ærique inciſum exhibuit laud. *Ruyſchius*, Obſ. Anat. Chir. nr. XVIII. quin imo ſingularem & oppido rarum hydropem ſaccatum, omento concluſum, ex *Welſchii* Obſ. Med. Epis. cit. loc. allegat *Hoffmannus*.

Hepar, dextri quidem inquilinum hypochondrii, quandoque tamen etiam protendi ad epigaſtrium, & hoc in tumorem elevare, conſtat ex *Riverii* Obſ. Med. & Cur. Inſign. Cent. II. O. LIII. ubi tumorem ſcirrhoſum hepatis recenſet, quem pro abſceſſu in muſculis epigaſtrii latente primum habuerit, quod ſub cute ſtatim tangeretur, iſti tamen concolor, nec dolorificus, niſi cum tangeretur duriuſcule compreſſus. Deprehendiſſe vero poſt mortem, tumoris cauſam continentem fuiſſe Hepar, tumoribus ſcirrhoſis, & magna ex parte ſuppuratis, refertum; præter & ultra quos, in extremo ejus ambitu, verſus epigaſtrium, adnati fuerint duo tumores cancroſi, ad umbilicum usque prominentes, pugnum magnitudine æquantes, ideo non in hepate eſſe olim crediti, quia non erant in loco hepatis naturali, ſed prominentes magis, quam reliqua hepatis ſubſtantia, quæ ſeorſim ab illis tumoribus ſuo loco tangi poterat. &c. Conferri cum hac hiſtoria valde ſingulari merentur, non ſaltim Hepatite defunctorum extiſpicia, ſub B. *Parentis* præſidio Diſp. Inaug. quondam a *Brunnero* propoſita; Nec non Hepatocele laud. *Reiſelii* in E. N. C. D. II. A. VII. atque *Wolffſtrigelii* in ejusdem obſſ. medd. promtuarii A. II. O. LXXXVIII. Verum inprimis etiam tumor hepatis ab *Hollerio* notatus, qua parte muſculi recti ad ſternum pertinent, in ægro vehementer emaciato multum eminens, atque digitis cedens, ut pro abſceſſu in muſculis rectis

haberi

haberi diu voluerit, tandem tamen ab illa Hepatis parte, quæ illuc pertingebat, ortum ſumſiſſe ſuum ſectione poſt mortem deprehenſus, prouti ex Ejusd. libr. propr. obſ. XXX. refert *Bonetus* p. m. 1047.

Pancreas quidem (non enim vacat, nec lubet, de hepate plura cumulare, atque omnia corradere, quæ huc ſpectare tamen aliis forte viderentur.) ſub ventriculo profundius ita ſitum eſt, ut non quivis tumor ejus deſuper ſtatim tangi, multo minus oculis uſurpari poſſit. Unde notum eſt, quam prudenter & circumſpecte in detegendo ejusdem ſcirrho, forte nondum adeo nec magno nec inveterato, quippe medicamentis internis, fotuque ac ſemicupio externis, feliciter curato, *Riverius* ſeſe geſſerit, Hypochordriaci ſui vicennalis regionem ventriculi ſollicite contrectans, & eam ſatis quidem tractabilem inveniens, quoties ſuſpenſa manu aliquantulum modo tangeret; poſtquam vero penitius hanc adigeret, atque ſatis fortiter epigaſtrium comprimeret, duritiem ac renitentiam quandam profundius ac ſub ventriculo deprehendens, quam in pancreate reſidere, hujusque durum & ſcirrhoſum tumorem eſſe pronuntiavit. Nihilominus tamen, ut hujus quoque mentionem faciamus, monet nos *Harderi* ruſtica, cui, cum 45. æt. anno catamenia ſubito ſubſiſterent, tumor in epigaſtrio ſubnaſci coepit, atque incrementa ſenſim tanta ſumſit, ut tota tandem uentriculi regio diſtenta ne contactum quidem leviorem ferret amplius. Dicebatur autem, epigaſtrii regionem explorantibus, oblatum fuiſſe corpus durum, quod a ſiniſtris dextrorſum, & abhinc ſiniſtrorſum protrudere, atque verſus latus dextrum adhuc alterum tumorem renitentem tangere licuerit, qui ad adtactum duriuſculum, non ſine dolore quidem atroci atque ructibus, digitis comprimentibus ceſſerit. Etenim ſectione poſt mortem conſtitit, tumoris utriusque cauſam fuiſſe pancreas, undique ſcirrhoſum & tumidum, cum pyloro ſimul inſigniter tumente ſcirrhoſoque, ac in extima ſuperficie vomicis aliquot albente pure refertis obſeſſo, ſic, ut interna quoque ventriculi facies ſcateret undique glandulis albicantibus, ſimiliter induratis ac ſcirrhoſis, quarum aliæ latiores & depreſſæ magis, aliæ minores, ſed eminentiores. &c. prouti hæc omnia fuſius recenſet laud. *Harderus* loco jam ſuperius alleg. nim. E. N. C. D. II. A. VI. O. CI. brevique poſt, ejusd. Ann. Obſ. CXXXI. repetit *Mejerus*. Sed nec hujus partis receſſus ac tumores cumulabo omnes. Evolvat, cui volupe & otium eſt, apud *Tulpium* Obſ. Med. L. IV. C. XXXIII. pancreas infra

ſupra-

ſupraque extuberans, pure ſordido ac pituita viſcida infarctum. Apud *Riolanum* Anthropol. L. II. C. XVI. pancreas hepatis molem æquans, totum ſcirrhoſum, multisque globulis ovi columbini ſpecie farctum. Apud *Hildanum* Obſ. Cent. I. nr. LXXI. tumorem pancr. ſcirrhoſum qſ. ſteatomaticum, duorum pugnorum magnitudine deprehenſum. Miſc. Nat. Cur. Ann. I. Obſ. XCIX. *Hertodi* de pancreatis ulcere cancroſo. atque alia plura. Pergendum enim nobis, ac dicendum paucis etiam aliquid eſt de cauſa occultiori ſolida, cujus mentionem fecimus in hiſtoriæ therapia. Auſim igitur ulterius hanc quoque theſin ponere:

Quarto tumor noſtræ *non* fuit *ſolidus, carneus, fibroſus.* Excreſcentiarum & concretionum iſtiusmodi carnearum ac ſolideſcentium ſpecimina paſſim ſuppetunt, quæ, ſi vel maxime non in omnibus, in quibusdam tamen, convenientiæ non parum habere, adeoque analogiam quoque cum noſtro magnam probare, videntur. *Ventriculi Verrucam Avenzoar* modo ſatis ingenioſo detexiſſe refertur a *Boneto* in quodam, qui non digerebat cibum, febricitabat febre inordinata, fortiter aliquando invaleſcente, & aliquando debilitabatur, & habebat ſolutionem non magnam, & egeſtiones illæ coloris erant varii, adeo ut non poſſet cognoſcere cauſam ſuæ ægritudinis. Cum attigiſſet pulſum ejus, invenit ipſum inordinatum & magnum, unde cognovit, quod apoſtema erat in membro multorum nervorum; Et ſpecialiter, quia erat ſerrinus, & debilitas virtutis patientis obviabat magnitudini ipſius pulſus, quæ manifeſtabant, verrucam eſſe in ipſo ſtomacho. Et quia non erat multæ velocitatis pulſus, ſignum erat manifeſtum, quod non erat de genere calidorum apoſtematum. Et cum poſuiſſet manum ſuper fundum ſtomachi, invenit duritiem ad quantitatem unius pomi, absque ſenſu doloris; fortiter autem compreſſa manu, ſenſit modicum doloris, atque ex iterata compreſſione fortius dolebat. Quadam autem die, cum aſſellaſſet, dejecit quiddam rotundum, formam habens pomi, cum una radice, & ſolidum; Et quoties poſtea aſſellabat, egerebat ſanguinem in magna quantitate. &c.

Sed quid opus eſt excurrere ad vetuſta talia peregrina, cum domi ſuppetant recentiora. *Platonis* quondam Noſtri æger, qui poſtmodum B. D. D. *Zellero,* Socero, Anteceſſori ac Collegæ Deſideratiſſimo, thema dedit conſcribendæ Diſp. Inaugur. de *Molis virilibus mirabilibus*, conquerebatur etiam de dolore circa præcordia, & in regione ventriculi, velut,

luti comprimente. Superveniebat eidem aſthma, cum vertigine caliginoſa, quin cœcitate tandem omnigena, atque gravi lipothymia. Comitabatur iſta, dolore præcordiali nihil quidquam imminuto, alvi pigritia contumax, quæ, revertente ſcotomia, ac ingruente tandem convulſione epileptica, augebatur pertinaciſſima, injectionibus, tam lenientibus & emollientibus, quam ſtimulantibus, inunctionibus & cataplaſmatibus, diu invicta. Tandem dejectionem optatiſſimam impetraſſe ratus æger, pelvim ſanguine aquoſo, maſſisque pluribus, pro ſanguine concreto habitis, ſemiplenam conſternatus videt. Has, a ſordibus paucis intermixtis, aqua ſæpius affuſa, deterſas, cum examinaſſet adcuratius, deprehendit maſſas, tunicis ſingulis propriis, modo adhuc integris, modo dilaceratis, inveſtitas, nequaquam ſaltim ſanguineas grumoſas, ſed fibroſas carniformes, omninoque tales, quæ molis fœminarum, fœtus harum recenter editos comitari frequenter ſolitis, vel viſceris alicujus parenchymati, compagine ſua erant ſimilimæ. Magnitudine quædam juglandem, aliæ ovum, aliquæ tamen pugnum quoque minorem, æquabant. Plures oblongæ, ventriculum, inteſtina referentes, molles omnes & lubricæ, ſedibus diverſis aliquot librarum pondus æquantes, rejectæ. Ceſſavit vero ſtatim omnis compreſſio præcordialis, &, quamvis præter dicta toto quatriduo nihil excerneret, ſub hujus finem tamen ſponte iterum ſecuta fæcum naturalium copia, valetudinis reſtitutæ prodromus.

Quemadmodum vero molas haſce viriles mirabiles, poſt gravem adeo corporis perturbationem rejectas, non ex ventriculo, ut *Avenzoar*, ſed ex inteſtino colo diſp. cit. deduxit quondam *Socer* venerandus, atque adeo in memoriam mihi revocat quadrigam ægrotorum, quos in Diſpp. ſuarum penultima, d. alvo hæmorrhouſa, propoſuit B. *Parens*: Opinari etiam facit, *Kerkringii* corpus glanduloſum, 3. palmas longum, binos digitos latum, ſeptemque uncias pondere adæquans, cum ingenti ſanguinis copia, per alvum a fœmina rejectum, originem habuiſſe non diverſam; Contra vero, *Riverii* veſicas farciminales, & *Warthoni* hydatides ibidem adductas, alterius plane claſſis eſſe, neque penitus huc ſpectare. Ita, quoad ſedem & originem, ventriculo denegari forte minus poterit mola vomitu rejecta, quam Italus Medicus *Panarolo* communicavit, hiſce verbis deſcriptam: Erat caro otioſa, informis, inſtar molæ a *Galeno* deſcriptæ; habebat nihilominus

cominus quasdam rudes delineationes, in rotunditate & figura pruni, cum ejusdem penicillo. Erat duarum unciarum pondere, ſpongioſa, carnem hepatis, colore & conſiſtentia, præ ſe ferens. In ſuperficie erat dura, & pellicula ſ. membrana forinſecus circumpoſita, mediam fere carunculam obvallabat. Temeritatis non minus ac fortunæ ſpecimen dixero, molam hancce carneam vomitorio fuiſſe provocatam, ex viro melancholico, propter hæmorrhoidum retentionem, copioſi ſanguinis vomitu olim pluries, tunc autem ventriculi dolore intenſiſſimo, qui nec anodynis nec narcoticis ſedari poterat, graviſſime vexato. Analogiam vero cum præcedentibus probat phænomenon tam concomitans, quam conſequens: Sanguis nimirum ater, unius heminæ quantitate, ſimul rejectus; Et ægrotus adeo feliciter inde reſtitutus, ut *Williſius* optaverit, obtigiſſe hoc *Thomæ Bartholino*, qui pro dignitate molam hanc & calamo pingere, & ſermone poſſet explicare.

Quod in uteri, vel ampliore alio quocunque, cavo concretum molam aut ſarcoma vocant, id in anguſtiori canalium & vaſorum ſpatio, inprimis autem humorum libere undulantium flumine, ſuccreſcens *polypi* nomine inſigniunt. Tranſeat onomatologia & differentia polypi, ex B. B. *Abavi* Memorab. Medic. Cent. XX. part. LXXVIII. atque *Avi* Diſp. d. polypo narium aquoſo, juxta cum Appendice E. N. C. Dec. III. Ann. I. haurienda. Tranſeat etiam ordinarius cordis, aut vaſorum circa cor majorum, polypus, palpitationum & pulſationum mirabilium non minus ac terribilium promus condus, vel ſolo *C. Patini* teſtimonio, cujus polypum anevryſmalem, vel anevryſma polypoſum, E. N. C. D. III. A. I. App. cit. dedit *Knipsmacoppe*. Tria modo ſunt, quæ occaſione horum in tranſitu notabo pauciſſimis. Maſſa polypoſa *Struvii*, per alvum excreta, quæ ſpithamam longa, pollicem lata, membranoſo carnea, multaque pinguedine intertexta, recenſetur in Act. Phyſ. Med. N. C. Vol. I. O. CXCV. nobis in memoriam revocat *corpora raphanoidea*, i. e. maſſas ſolidas, oblongas, raphani figura & magnitudine, quas in anſerum complurium inteſtino cœco, tam alterutro, quam utroque, deprehendit olim, & ad laud. Diſp. d. mol. viril. mirab. communicavit B. *Parens*, nullibi quidem inteſtinis adnatas, hæc tamen valde diſtendentes. Fuiſſe autem ipſis ibi dicitur ſubſtantia alba, non fibroſa, ſed tunicata, bulborum inſtar in laminarum ſtra-

ta, ſive convolutiones, diviſibilis. Quæ, quam conveniant cum maſſa carnea vomitu rejecta *Fabri*, determinare non auſim, nimis enim Ille recenſendo brevis fuit in E. N. C. D. II. A. IX. App. p. 456. *Deinde* in Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. IV. dubitabatur: An *polypus* enaſci queat etiam in *arteria aſpera?* Debebat autem inſervire ad explicandum affectum peregrinum, in trachea reſidentem, & per periodos maxime diurnas recurrentem, absque tuſſi tamen, vel puris aut ſanguinis excretione ulla. Exorto ſcilicet toties quopiam in arteria aſpera fluctuante, & ad excutiendum, fruſtra quidem, adeo fortiter tamen irritante, ut ſuffocationis momentaneæ periculum immineret. Sed quid opus erat hæſitatione, poſtquam eorum non poſſibilitatem modo, ſed actualem exiſtentiam, exemplo dudum probaverat *Bartholinus*, in Act. Hafniens. Vol. V. O. XXX. Polypum Bronchiarum & Tracheæ ſiſtens. Si exemplum velis recentius, evolve Act. Phyſ. Med. N. C. Vol. I. & lege modo laud. *Struvii* Obſ. de maſſa carnea, inſtar venæ cujusdam, per tuſſim excreta. *Tertio* ex Act. Erud. Lipſ. Ann. 1715. Menſ. Octobr. conſtat, natum etiam in *oeſophago* fuiſſe polypum, vermiformem, ſex digitos transverſos longum, craſſitie lumbrico majori parem, ſubſtantia carnoſo fibrilloſum, colore ex albo rubicundum. Hunc obſervatione ſingulari ab Amico communicatum, ac a nicotiana hiſpanica, quæ fortius adtracta naribus in pharyngem aliquando penetraverat, excitatum, diu varie, quin miſere, fruſtra tractatum, ac in ægro fame ſitique tandem enecto ſectione deprehenſum, dignum utique judicarunt Dnn. *Collectores*, quem, figuris æri inciſis delineatum, actis ſuis insererent.

Dices: Quid ergo vel tandem ſupereſt? Reſp. *Superſunt Abſceſſus.* Sed nec hi quidem omnes, promiſcue. Etenim *Leonh. Fuchſius*, de Facultate noſtra quondam bene meritus, atque ante hos ducentos annos Eidem adſcriptus, proin dignus, cujus vel hac etiam occaſione renovetur memoria ſecularis altera, ſuarum Inſtit. Med. L. III. C. XXVI. p. m. 637! Abſceſſus, inquit, duplex genus eſt; Unus, ubi phlegmone in pus converſa, pus ipſum, tanquam in ſinu aliquo collectum, continetur. Alter, quum nulla præcedente phlegmone, humor aliquis ſtatim initio in parte aliqua coacervatur. Tranſeat prior ſignificatio, phlegmone in pus converſa, vel, ſecundum modernorum loquendi formulam, inflammatio apo-

ftematodes, ubi manifestæ inflammationi præcedaneæ superaccedit suppuratio, aut in hanc illa proprie loquendo terminatur. Posterior, quemadmodum etiam quidem abscessus, vel Tumor potius hodie vocatur cum folliculo, aut saccatus, ex eo quod, uti *Celsus* ait L. VII. C. VI. ex parvulo incipiens, diu paulatimque increscens, tunica includatur sua; Ita hic tandem hujus loci est, cujus classi noster etiam vendicari, proin adfirmativa demum hæcce thesis poni poterit:

Tumor nostræ fuit cum folliculo, vel *saccatus*. Tales prisci vocarunt olim collectiones paulatinas, in occulto natas, nec sub cute tantum, ut *Schelhammero* visum loc. cit. sed in omnibus ac singulis partibus nostri corporis obvios, prouti patet vel ex initio statim capitis penultimi, quod suo morborum chronicorum libro ultimo istis destinavit *Cælius Aurelianus*. Differunt non saltim magnitudine, ac locorum varietate, sed inprimis etiam contentorum qualitate, atque conditione diversa. Primæ quasi magnitudinis illos dixero, quos historia medica nobis sistit abdomen e. g. adeo elevantes, ut pro asciticis ægri fuerint habiti. Talibus jam accenseri quidem poterit, in M. N. C. A. II. O. LXXXII. a *Schulzio* propositus, Tumor insignis supra ventriculi regionem, externe suppuratus & feliciter curatus; atque Ann. proxime seq. III. a *Car. Raygero* Obs. CCLXXXII. descriptus Abscessus ventris infimi, per umbilicum evacuatus; Cui parallelum in E. N. C. Dec. III. Ann. I. App. subjunxit *Lentilius*, observatum in viro, qui, alliso inter equitandum ad ephippii mucronem abdomine, tribus supra umbilicum digitis transversi, tumorem inde cœpit sentire, nucis magnitudine primum, atque ideo neglectim habitum, postea vero hominis adulti caput brevi superantem, ac in alterum usque lustrum non sine molestia gestatum, maturantibus tamen ac emollientibus tandem feliciter apertum, ac puris incredibili copia prodeunte semestri spatio ita sanatum, ut aperta tamen maneret extus, inter epigastrium uc umbilicum, fistula. Quibuscum conferri forte poterit biga *Riverio* communicata, Observ. suarum p. m. 426. atque tumor peritonæi sacciformis in Adenologia *Nuckii*. Jure autem stricto fuisse talis dicendus, & agnoscendus erit, saccus abdominis feculentus, hydropem mentiens, quem in E. N. C. D. II. A. X. O. XLIX. recenset, &, præter 22. libras materiæ crassæ subflavæ, primo puri, dein ranarum spermati non absimilis, atque sex insuper

bursa-

bursulas aquam limpidam fundentes, ac in fundo gelatinam albam tenacem relinquentes, inanitum cum appendiculis suis, ac intus adhærente mucilagine, adhuc 51. libras pependisse, scribit *Hunerwolf.* A quo parum abludit, quippe 47. libras æquans pondere, etiam simili prorsus materia repletus, saccus abs me notatus in Act. Phys. Med. N. C. Vol. I. O. CLX. una cum pluribus, in utraque hac observatione, atque Disputationum mearum prima, ibidem allegata, citatis.

Minores, quemadmodum pro contentorum diversitate vel servant abscessus nomen, vel alia sortiuntur nomina, vocanturque vel vomica, aut hydatis, sive meliceris, atheroma, steatoma, &c. Sic nostræ nunc sollicitudinis erunt objecta, ex innumero medicarum observationum numero, quæ cum themate quidem nostro forte propius convenire videbantur, decerpenda. *Abscessum saccatum* pectoris, in thorace militis gregarii deprehensum, Act. Phys. Med. N. C. Vol. II. O. XVIII. sic describit *Laubius* : Ad latera pericardii, infra pulmones, ab insertione costæ quartæ cum vertebris dorsalibus, usque ad septimam, saccus albicans, pugnum recipere capax, in cellulas distinctus pure repletas, integer in dextra thoracis cavitate. In sinistra similis, sed minor, pus in cavum pectoris fundens. Duos similes in mediastino, ad utrumque sterni latus, deprehendo notatos in Sepulchr. *Boneti* L. IV. Sect. I. O. XIV.

De *Vomica* non est, quod simus admodum solliciti, cum proh! dolor illarum exempla nimis quam multa prostent passim. Operæ tamen pretium erit, adducere unum & alterum, servato semper ad casum nostrum respectu propiori. Quod ex *Fernelii* pathologia *Bonetus* citat Sep. L. II. S. I. p. 402. quandoque post concitatiorem corporis motum, pilulas parvas, vel globulos, pisi magnitudine, membranula conclusos, a pulmone reddi, qui digitis contriti pus continent fœtidissimum, quale vix e cavo corrosoque putri dente expurgetur : Quin adolescentem quempiam, cum ab exercitatione fortiori torqueretur etiam tussi acerbiori, nullo temporis puncto intermisso, tandem excrevisse vomicam integram, ovi columbini magnitudine, in qua aperta pus exquisite album & æquale deprehensum fuerit; Id utrumque etiam inter nos contigisse novi. Et prius quidem in praxi propria observavi, talesque globulos a Viro cæteroquin robusto, hactenus hypochondriaco magis quam phthisico, nunc levi tussi, frequen-

tius ſaltim modico ſcreatu obtentos, non ſemel examinavi, talesque omnino, quales modo diximus, deprehendi. Alterum ex praxi B. Parentis ſui pronuper mihi retulit Exc. Dn. D. *Mauchartus*, Adfinis & Collega Honormus, de viro med. æt. diu ſicce tuſſiculoſo, ex ignota cauſa vehementer aliquando ad extuſſiendum tandiu irritato, donec tandem ſummo cum impetu, nec ſine credito ſuffocationis periculo, in aream hypocauſti projiceret maſſam rotundam, ovalem, ovo gallinaceo proxime comparandam, ſed membrana tam robuſta tectam, ut, nullo manuum robore rumpenda, pedibus denique fuerit conculcata, ſed fœtorem abhinc in conclavi excitans intolerabilem.

Hydatides in ventriculo humano repertas ita deſcribit *Cleyerus* E. N. C. D. II. A. I. O. XVIII. Deprehenſus fuit ventriculus fereſplenus corpuſculis oviformibus, rotundis, diverſæ magnitudinis, innumerabilibus. Horum exterior membrana erat valde tenax, & lenta. Intus vero continebatur liquor flavus, inſtar lymphæ. Et in fine iſtius anni p. 451. de eodem (uti quidem videtur) caſu ſubjungit: Nonnulla horum magnitudinem æquabant ovi gallinacei. Dum in figura obſervationi cit. adjecta conſpicerentur etiam pilularum noſtratium ac piſorum æmula. Egregie conſpirant hæc, et iconibus additis quoque conveniunt, cum Obſ. XXVII. *Ruyſchii*, qua hydropem e congerie hydatidum ſacco concluſa deſcripturus, recenſet veſicam burſulis aqueo humore refertis infarctam, aut ſaccum membranaceum craſſum, & magnitudine ſtomacho non abſimilem (ſupra quem etiam locatus erat.) hydatidibusque repletum; idque in cadavere aſthmaticæ, cui reſpiratio erat difficilis, ut ex orthopnoea nonnunquam videretur moritura, concomitantibus febricula lenta & cardialgia frequentiori. Harum hydatidum multas in ſacco dicto fluctuaſſe, alias autem firmiter eidem adhæſiſſe, ſubjungens.

Mitterem hydatides, niſi aurem vellicaret annoſa *virgo*, oppido rara, atque prorſus inconſueta, rejectione anoterica diuturna veſicularum talium, tam parvularum, piſi ſaltim, quam majuſcularum, ovi columbini magnitudine, quarundam inanium, tubulo quovis facile inflandarum (procul dubio, quoniam prius intra pectus ruptæ) plurium adhuc liquore ſuo limpido turgentium, levi ſcreatu facile, interdum magno numero, obtentarum, non minus ac ſanitate recuperata, cum morti tum non ſemel crede-

crederetur proxima, notatu certe dignissima; In memoriam mihi revocans, tam Observ. XXXIII. atque XXXVI. Sect. I. L. II. ex Sep. *Boneti*, fide quarum in Cardinalis *Cajetani*, atque nobilis *Burgundi*, cadauere inventus fuit pulmo plenus istiusmodi vesicis, humore consistente lentoque & pellucido, instar albuminis ovi prægnantibus; Quam *Hepatitem* singularem, stupendo hydatidum parvularum, sed nec pauco majorum, ovum gallinaceum magnitudine æquantium (quæ omnes, utre peculiari comprehensæ, in media hepatis substantia delituerunt.) numero formatum, atque juxta cum aliis in sectione phthisici veterani aliquando repertum.

Reliqua uno paragrapho comprehendere, & strictim modo breviter percurrere, atque adeo ad finem properare, tandem utique licebit. Transeat ergo *Meliceris* viridis *Rhodii* Cent. III. Obs. LXXV. Transeat etiam meliceris prægnans, vel pilis, qualem non *Hoffmannus* demum in E. N. C. D. II. A. V. O. CCX. sed jam dudum *Celsus* observavit; Vel alia meliceride juvencula, non minus folliculo suo inclusa, quod testatur autoptes *Petrus de Marchettis*. Non enim cum Æsopi ranis apud Phædrum sollicitus inquiram: *Quid futurum est, si crearit liberos?* Multo minus disputabo, num pro talium liberis haberi debeant animalcula, culicibus muscisque parvis similia, quæ *Philoxenum* in istis observasse ex *Ætio* refert *Schelhammerus* l. c. Neque lucis multum fœnerabitur tam *Atheroma*, vel renale *Valentini* in E. N. C. Cent. III. & IV. O. II. vel sublinguale *Dolæi*, earundem Eph. D. III. A. II. O. LXXVII. aut Hepatis, *Blancardi* Anat. pract. Cent. II. O. III. Omentive, Act. Erud. Lips. cit. Ann. 1715. M. Jul. (Nisi forsan occasione hujus, atque illorum A. 1706. M. April. recensitorum, meliceridi prius dictæ controversiam status aliquis movere velit cum *Ætio*, prætendente, non in tenuiore hujus, sed in crassiore illius, humore talia existere.) Quam *Steatoma*, vel illud Diaphragmatis, a *Veslingio* Synt. Anat. C. IX. vel alterum in cavo pectoris, a *Laubio* in E. N. C. Cent. VII. & VIII. O. XL. aut in pyloro ursæ a *Franco* M. N. C. A. IV. & V. O. CI. sive in mesenterio a *Lechelio* E. C. D. II. A. II. O. CLIX. & Exc. *Verdriesio* Act. Phys. Med. N. C. Vol. I. O. LXXXVII. propositum, æque ac illud *Merckleini* Dec. II. A. VI. O. CCXXI. & *Wurfbainii* Dec. II. Ann. VII. O. CCLII.

CCLII. vel ſterilis, ſuper aortæ ſteatoma cum polypo confuſum, in Act. Med. Berol. Dec. II. Vol. V. agitata controverſia. Pertæſus enim obſervationum ultra cumulandarum, quibus certe ſatis omnino, ſi non nimis, datum eſt, ad illud potius me confero, quod palmarium eſt, tumorem concernens noſtrum, ex hactenus adductis nunc illuſtrandum.

Adparet autem ex omnibus, quam non ſine fundamento dixerim, me tumorem noſtrum adhuc hodienum mirari potius, quam penitus perſpectum habere. Etenim quam certum eſt, excretum illud, a fœmina dictum quaſi ſine teſta ovum, pertinere utique ad tumores cum folliculo, vel ſaccatos; Tam dubium eſt & manet, ad quamnam eorum ſpeciem referri, ac ubinam hæſiſſe, undenam veniſſe, dici debeat. Hydatidem non vocabis, quia neque lympham, neque ſerum tenue continuit membrana ſpiſſior. Abſceſſum, vel vomicam, vocare non poteris, quia puris nihil habuit, nec ullum inflammationis ſignum unquam præbuit. Meliceridem, vel atheroma, dicere ita ſimpliciter vel ideo non poſſum, quia neque melli inſpiſſato, neque pulti, vel miliaceæ vel avenaceæ, ſed aceti quam vocant matrici comparavit mulier, de iſtis omnibus interrogata, iſtarum vero pulticularum bene gnara. De ſteatomate ſollicitus eſſe ſuperſedeo, quia pinguedinis ſebaceæ nihil adfuit. Si tumores cum folliculo haberemus gelatinoſos, qualem pro hernia habitum in inguine pueri rhachitici, ac alterius aſthmatici, deprehendit *Reiſelius*, juxta E. N. C. D. II. A. VII. O. XI. p. 20. 21. 23. facile ſubſcriberem. Sed nihil quidquam ibi de folliculo.

Quid ergo? *Si*, recedentes tantiſper a ſententia communiter recepta, vel *Vomicam ſine purulenta*, vel *Meliceridem ſine mellaginea* ſubſtantia intus contenta, ſtatuamus etiam repleri poſſe iſtiusmodi mucoſo, glutinoſo, viſcido, tenaci concremento? Ubi, quod vomicam quidem concernit ſpecialius, quamvis non auſim ſtatuere, nec ex inflammatione præcedanea omnes fieri, (quæ olim *Cælii Aureliani* fuit ſententia, prouti patet ex cap. cit. quo, de curatione illarum locuturus, præmittit indicationem prophylacticam, paucis hiſce verbis comprehenſam: Sed oportet ob earum (vomicarum) generationem fugiendam congruam tumoribus (*partibus inflammatis*, uti legendum *Ammannus* recte notat in margine.) adhibere

cura-

curationem. Horum enim augmenta collectiones faciunt generari, ut sæpe in pleuriticis vel peripnevmonicis, vel similibus morbis, quibus ita formavimus curationes, ut minime sinantur initia fieri vomicarum.) Nec verum pus generari absque inflammatione, vel comite vel pedisequa, qualitercunque lenta, tarda, quæ in occulto fieri, adeoque Medicum, non minus ac ægrotum, sæpe diu latere possit: Vomicam tamen hujus generis *absque* omni *inflammatione*, meliceridis instar, & oriri & augeri, gestarique diu posse, totus arbitror.

Neque melior est conditio *Subjecti*, vel loci affecti, in quo tam diu hæserit, ex quo avulsus proruperit nostræ tumor. Laud. *Cælius Aurelianus* cap. cit. inter alia occupatur etiam recensendis vomicarum signis, secundum seriem partium, quas occupare ab initio capitis dixerat, essetque omnino pretium operæ non nullius, examinare secundum ista singula historiam nostram, nisi nimium increscеret disputatio. Præstat igitur ad fontem ipsum *Lect. Ben.* ablegare, &, quod hic inprimis in quæstione est, paucis expedire. Quemadmodum penetratio dimensionum non datur; de susceptione autem ac translatione puris successiva, ex uno loco in alium, non agitur: Sed de folliculi totius exclusione simultanea, & maxime improvisa, quæritur; Proin quæ de corde, pulmonum superficie externa, diaphragmatis facie vel supera vel infera, mediastino, pleura, peritonæo, vel etiam ventriculi convexo, aut parte quacunque alia, nasci forsan alicui potuisset suspicio, omnis excluditur. Sic vicissim, de *pulmonibus* saltim ac *ventriculo*, inprimis quæritur: Utri horum sedes, atque terminus a quo, tumoris nostri, per os ita subito rejecti, adscribi possit? Pro *pulmonibus* semper stetit ac pugnavit fœmina, nunquam vomuisse, sed extussiisse, & ex pectore rejecisse hunc quasi fœtum volens suum. Quodsi autem ipsi contradicere liceret, eruptionem facilius e stomacho, quam pectore, conciperem, atque phænomena tumoris, pulsationis, gestationis ac decubitus, maxime vero eruptionis ac liberationis, explicarem.

Etenim, quod ex *ventriculo* sursum fertur, etiam per os prodit, æque ac illud ex pulmone veniens. Incurvatione autem corporis antrorsum, ad committenda terræ sua phaseolorum semina profundius facta, ac diutius

con-

continuata, tam ab epigaſtrio tam diu tumido diaphragma ſurſum tolli, thoracis cavum anguſtari, pulmonibus ſemet expandendi ſpatium adimi, ac ad fortiter tuſſiendum thorax irritari: quam ſub & ab hoc ipſo actu folliculus, pedunculo forte gracili, ut quandoque ſolent iſtiusmodi tumores ſaccati, non autem lata baſi hærens, a ventriculi fornice rumpi (atat, hujus rupturæ vel avulſionis ſenſum ſub ipſa tuſſi fœminam habuiſſe, in hiſtoria dictum eſt.) ac ab ipſa tuſſis vehementia, concurrente ſimul hoc ipſo ventriculi hactenus inquilino, nunc compedibus ſuis recens liberato, vomitus excitari, atque per hunc ille rejici egregie potuit, fœmina præ tuſſis vehementia vomitum ſimultaneum vel ideo non animadvertente, quod, ſcenæ adeo ſubita mutatione perculſa, mentis oculos potius converteret in materiæ rejectionem, & corporis inde liberationem adeo momentaneam.

Cum hoc excernendi modo, atque tumoris loco prius dicto, ac adhuc ſpecialius ſtatim indicando, melius etiam conciliari poteſt *abſentia tuſſis* ac *dyſpnoea* omnis, per triennium geſtati tumoris, etiam ſub morbis in hiſtoria recenſitis, ac deſcriptus in eadem ultimus excretionis actus mirum quam facilis. Comprehendere enim vix quisquam poterit, quomodo tumor adeo magnus, utriusque manus vola non capiendus, intra pulmones, etiam ſupremos, (ne dicam inferos) tam diu hærere, tandem vero ſimul & ſemel ex illis totus prodire poſſit, absque notabili difficultatis in reſpirando ſenſu, aut excitata ſenſim, vel a corporis motu ſaltim ſuſtinenda, tuſſi ſicca, atque ſub illius tranſitu per arteriam aſperam, non adeo ut œſophagus dilatabilem, ullo ſuffocationis, imminere forſan a fœmina creditæ, vel ſenſu vel periculo.

Accedit *tumoris*, etiam externe viſi, tactuque toties explorati, *locus*, allegatum in hiſtoria epigaſtrii medium, ſub ipſo cordis ſcrobiculo, ventriculi ſupremæ fornici, ad quam, inter utrumque illius orificium, hæſiſſe potuit, potius reſpondens quam thoraci, & in hujus non medio, ſed latere utroque, pendulo pulmoni.

Favet hypotheſi etiam *eventus*. Quemadmodum nihil quidquam, vel ſanguinei, vel purulenti, unquam in ſputo comparuiſſe, aut tuſſis remanſiſſe

mansisse: Potius fœminam quasi miraculose, momento temporis, plenarie & constanter, adhuc in vinea, liberatam & fuisse & mansisse, dictum fuit in historia. Sic hæc omnia quadrant in ventriculum potius quam pulmones, tantam tam diu, prius extensionem atque compressionem, deinde avulsionem, evacuationem atque subsidentiam simultaneam, non adeo impune sustinentes.

Pauca restant, brevissimis expedienda. Quod mali concernit *originem*, ego quidem allegatæ mariti potius, quam conjugis, causæ occasinali, nimirum *ponderis levationi* & gestationi fidem adhiberem, hanc ad inferendum tale malum potentiorem reputans, quam emansionem quidem mensium. Non obstante *Harderi* rustica superius allegata.

Specialem *tumoris formationem* atque genesin lubens transmitto, & de hac sollicitos ad systemata nostra, tam medica quam chirurgica, vel *Severinum*, *Meibomium* & *Schelhammerum*, de abscondita abscessuum internorum natura primicerios, remitto. Quia tamen vasorum nec multa nec magna habuisse videtur folliculus, conflictui reservabo, quam conveniant, quæ de tunica allantoide scripsit *Bartholinus* Act. Hafniens. Vol. V. O. XLV. sub tit. *Novi Generis Fenestra*.

Pulsatio, quemadmodum dicta fuit non tam tumoris ipsius, quam potius peripheriæ circum circa; Sic in memoriam nobis revocat, quod inter signa collectionum talium generalia posuit *Cælius*, scil. dolorem *pulsuosum*, præter inflammatorios abscessus, etiam in hisce chronicis locum utique habiturum.

Quæ de *decubitu* fœminæ dicta sunt, egregie illustrantur ab illis, quæ de puero suo asthmatico refert *Reiselius* loc. cit. Scil. illum asthma suum sensisse levari, quando stans caput atque pectus inclinabat scamno, forte quod *cor* oppido magnum ita *sterno incumbens* melius quieverit.

De *Therapia* nihil addam, quia bona fide fassus sum, me tumorem non curasse; *Naturam* hic fuisse sui ipsius *Medicatricem*. Sed nec discere multa licuisset pro tumore nostro ex Therapia illorum generali, quam ad Obs. CVIII. E. N. C. D. II. A. I. in Scholio dedit *Muraltus*.

Conflictus suo tempore docebit, quam Ερμηνεια hæc nostra, atque resolutio casus medica, ad palatum Lectoribus futura sit. Si qui fuerint, quibus non arridet, illi recordentur ejus, quod apud *Cælium* l. c. legitur: *Sed harum eruptionum omnium plerique alias rationabiles dicunt, aliquas irrationabiles.* Et paulo post: *Sed non oportet de his plurimum disputare. Sufficit enim ad disciplinam significationis faciundæ, manifesta cognoscere & comprobare.* In quo & nos acquiescimus.

TANTUM!

SOLI DEO GLORIA.

CLARISSIMO DOMINO CANDIDATO RESPONDENTI

ΧΑΙΡΕΙΝ ΚΑΙ ΕΥΠΡΑΤΤΕΙΝ

PRÆSES.

PRo spatio superstite desiderat aliquid Typographus. Quid autem adcommodum magis excogitari posset Tibi, praxin medicam interea domi feliciter auspicanti, quam commendare sedulam pagellarum, ita successive Tibi transmissarum, non perlectionem modo, sed imitationem, adeoque Theoriæ atque Praxeos medicæ conjunctionem felicem. Scilicet a libris ad lectos, a Professoribus ad ægros dum nunc transis, priores tamen necdum debes deserere, sed ab ægris ad libros iterum Te conferre, ac præceptores istos mutos diligenter consulere, ut hæreditatem, quam nunc adgrederis amplissimam, non in usus modo Tuos convertere, sed propriis etiam observationibus auctam posteris aliquando tradere liceat. Cæterum felix hoc, tam studiorum academicorum, quam anni labentis, complementum, Tibi non minus ac Honoratissimis Parentibus Tuis gratulor, ac ut omnia, inprimis vero Praxis Medica, ex voto semper fluat, ex animo precor! Scr. e mus. XV. Calend. Januar. MDCCXXXIV.